



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 143. Gallorum Sententia de obsidenda hac urbe.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1557. litum, bellicique apparatus parte urbem esse munitam scirent: hi ergo existimasse videntur, quod sola munitissimæ hujus urbis fama hostem longe ab ejus mœnibus arcere deberet: quapropter neglecto Philippi consilio nulla omnino opis ferendæ cura adhibebatur, quamvis Wentvorthius, qui Caleti Gubernator erat, suppetias mitti vehemens urgeret.

## §. CXLIII.

*Gallorum sententia de obsidenda hac urbe.*

*Belcar. l. 28.*  
*n. 2.*  
*Thuan. l. 20.* Ceterum Angli summa admiratione defixi hærebant, cum Caleti obsidionem a Gallis fuisse decretam nuntiaretur: Attamen ad Gallici nominis famam, regnique tutelam plurimum conferre videbatur, ne tam copiosus, ac optime instructus exercitus sine celebris expeditionis molimine dimitteretur, quamvis ceteroquin permolesta hyemis asperitas obstare crederetur, præcipue cum haud consultum videretur, ut urbes nuper amissæ recuperarentur, eo quod ea loca ab hoste jam munita, & milite, ac re omni necessaria abunde firmata essent, nec eundem animum in iis regionibus, in quibus recentis cladis vestigia ob oculos versabantur, militi fore appareret, quam si alio duceretur:  
itaque



itaque Caleti expugnandi consilium re-  
petere placuit, quod Senarpontius Bo-  
noniensis Provinciæ præfectus Mont-  
morantio Connestabili suggessit, illudque,  
nisi Sanguintiniana strages incidisset,  
eadem ætate executioni demandandum  
fuiſſet. Res hæc Compendii, quo Rex  
venerat, in secretiore consilio agita-  
batur, ubi Petrus Strozzius Dux impi-  
ger lustrandi loci negotium in se susce-  
pit, hinc illuc cum Mazino Delbenio,  
exiguoque comitatu, ac veste obsoleta  
indutus, proficiscitur secunda Novem-  
bris die, ubi loci situm extrinsecus, &  
adjacentium propugnaculorum formam,  
ac firmitatem attentis oculis contem-  
platus, inde ad Regem rediit, ac rei exe-  
cutionem omnino facilem, si studium, ac  
diligentia adhiberetur, fore retulit.

Sæc. XVI.  
A. C. 1557.

§. CLXIV.

*Gallorum consilium de hostibus inopino  
obruendis.*

Percepta Strozzi relatione, ut magis se-  
creta res esset, dividitur exercitus  
& pars Nivernio Duci attribuitur, ita,  
ut illius imperio subessent viginti Helve-  
tiorum, ac totidem Germanorum, nec-  
non quindecim Gallorum vexilla una  
cum sexcentis equitibus cataphractis,  
& aliquot belli tormentis: interea vero  
sparge-

*Belc comm.  
l. 28. n. 1.*